

Dissertatio inauguralis chemico medica, de tincturis alcalinis ... / [Ernst Friedrich Zittmann].

Contributors

Zittmann, Ernst Friedrich.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Christophori Petri Franckii, [1746]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cgr8vpar>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISSERTATIO INAUGVRALIS CHEMICO-MEDICA,
DE
**TINCTVRIS
ALCALINIS**

QVAM
EX AVCTORITATE GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI

AVGVSTISSIMO PRVSSORVM REGI A CONSILIIIS SANCTIORIBUS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDIN.
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE,
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME OBTINENDIS,

AD D. XV. SEPT. A. O. R. 1806 CCXLVI.

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

ERNESTVS FRIDERICVS ZITTMANN,

DRESDENSIS - SAXO.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis CHRISTOPHORI PETRI FRANCKH, ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO INAUGVRALIS
CHEMICO-MEDICA,
DE
TINCTVRIS ALCALINIS.

PROOEMIUM.




*D*istinctam corporis humani cognitionem admodum necessariam esse, neminem fore existimo, quid id eat inficias. Duplici autem ratione considerari debet corpus humanum, vel tanquam corpus structum & textum, vel tanquam mixtum. Ad prius obtinendum Anatomia opus erit; ad posterius vero rite intelligendum requiritur, ut Medicus Chemiam, nobilissimam illam scientiam, calleat, quæ circa corporum naturalium mixtiones versatur. Sed & alius usus est, quem medicinæ Chemia foeneratur. Medici nempe officium est, perspectum habere modum conservandi sanitatem præsentem, & amissam restituendi. Quod ut impetrari possit,

fit, commoda ad hunc finem remedia erunt necessaria. Medicina itaque medicamentis carere non potest, utpote instrumentis, quibus egemus ad sanitatem tuendam aequae, ac morbos e corpore aegro propellendos. Inerit igitur aliquid medicamentis, unde intelligi possit, cur usurpata hunc magis, quam alium, in corpore praestent effectum, & cur quaedam sanitati magis patrocinentur, quam alia; haec illi, alia alii morbo extirpando plus sint accommodata remedia. Haec iam ex corporibus, quae in amplissimo mineralium, vegetabilium ac animalium regno prostant, depromuntur. Ad quorum mixtiones recte introspiciendas, quum ope Chemiae perveniatur: tum hoc modo perspicui poterit ratio, aliis tamen simul in auxilium vocatis principiis, cur hoc vel illud medicamentum hanc, nec aliam, exferat efficaciam. Poterunt porro opitulante Chemia quaedam miscibilia, in corpore quodam naturali obvia, separari, atque cum aliis miscibilibus, quae in alio corpore reperiuntur, conjungi, ut novum inde mixtum prodeat, novam medicinam constituens, artificis intentioni satisfacientem. Atqui ita artem quandam inveniendi medicamenta Chemia in se continebit, quae quamvis directe ad medicinam non spectet, magis ad physicam referenda, ea tamen nullus Medicorum carere poterit. Ob quam causam in magna semper existimatione erat Chemia apud Medicos, in eorundem scholis, a multis abhinc seculis ad nostram usque aetatem, tractata. Quum igitur eximia huius scientiae sit utilitas in medicina, operae pretium iudicavi, huius rei specimen quoddam publicum dare. Probavit se mihi iam sollicito de themate inaugurali, Dissertatione publica ex statutis academicis pertractando, argumentum de TINCTURIS ALCALINIS, quod non adeo pertriturum plane quae confectum esse mihi videbatur. Cuius argumenti tractationem

tribus

tribus momentis commodissime absolvi posse arbitratus sum, & quidem ita, ut primo loco agatur de materia ad Tincturas alcalinas necessaria; deinde modus easdem parandi, nec non earundem diversitas indicentur; & tandem effectus explicentur, qui ab hisce Tincturis in corpus humanum proficiuntur.

Qua de re conceptas meas meditationes L. B. optimam in partem interpretari velit.



CAPVT I.

De materia ad Tincturas alcalinas necessaria.

§. I.

ALALI FIXVM est sal, qui linguæ causticum sapor- *Quid alkali fixum sit.*
rem imprimit, cum acido quocunque effervesceat, in
aëre humido facillime deliquesceat & in igne constans
persistit.

§. II.

Kali planta est, hoc nomine populis orientalibus, *Ejus origo.*
& qui ad ora marium ac fluminum habitant, notissima,
quæ si igne comburitur, cineres relinquit collapsos, qui
salem sat acrem resipiunt. Quando autem hi cineres fervi-
dæ aquæ injiciuntur, coquuntur, tum acre & salsum quod-
dam exhibent lixivium, quo convenienter segregato dein,
in fundo vasis remanet altera horum cinerum pars, plane
infulsa,





















